



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XXI. De Bigamis non Ordinandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

Excipienda tamen inprimis est irregularitas, orta ex voluntaria abscissione alicujus partis proprii corporis; in ea enim, quando delictum omnino occultum est, dispensandi facultatem, vigore decreti S. Synodi Trident. *Sess. 24. cap. 6. de Ref. & aliis DD. allegatis, Episcopo adstruunt cit. Palao p. 12. n. 6. & Pirthing n. 15.* Deinde etiam, cum vitium corporis Sacrorum Ordinum susceptio-

nem subsecutum, & sine culpa contractum est, in irregularitate ex eo orta cum Religiosis sibi subjectis saltem, si exercitium Ordinum adhuc sint capaces, & deformitas valde gravis & enormis non sit, Prælatos Regulares vi Privilegii Apostolici dispensare posse, docent Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. quæst. 8. art. 3. conclus. 3. Laiman cit. cap. 7. n. 3. in fine, & cit. Palao p. 12. n. 6.*



TITULUS XXI.

De Bigamis non Ordinandis.

SUMMARIUM.

1. Bigamia ab Ordinibus repellens triplex est.
2. Vera, qua contrahitur duplici matrimonio.
3. Etiam ante baptismum consummatò.
4. Est ante eum susceptum occidens ad Ordines admittatur.
5. Interpretativa, qua contrahitur conjugio cum vidua vel corrupta.
6. Ab alio, non ab ipso eam ducente consummatò.
7. Vel accessu ad propriam conjugem adulteram.
8. Vel alterò conjugio invalidò post.
9. Vel ante sacram Ordinationem consummatò.
10. Similitudinaria, qua contrahitur conjugio post SS. Ordines.
11. Vel Professionem religiosam consummatò.
12. Privilegia clericorum retinent Similitudinarii.
13. Et alii bigami sacris initiati vel Profess.
14. Solus Papa ad Ordines majores.
15. Et ad minores quoque in irregularitate orta ex Vera.
16. Et Interpretativa bigamia dispensat.
17. In ea, qua ex Similitudinaria.
18. Et ex delicto occulto orta est, Episcopos.
19. Et Prælati Regulares exempti cum Religiosis subditis suis dispensant.
20. In literis impetrationis bigamia speciem.
21. Non etiam trigamiam exprimi est necesse.

Celebre etiam eorundem Ordinum impedimentum est Bigamia, hoc est, duplicatio sive iteratio matrimonii, *can. Aperiant. 31. q. 1.* quod à DD. vocari solet defectus Sacramenti, sive potius perfectæ significationis Sacramenti matrimonii consummatij cum enim hoc institutum sic ad significandam

arduis.

arctissimam conjunctionem Christi cum Ecclesia per humanæ carnis assumptionem, teste Apostolo *Ephes. cap. 5. v. 32.* ubi de Matrimonio, *Sacramentum hoc, inquit, magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia: conjunctio autem illa sit unius cum unica, ab alio non assumpta & immaculata Sponsa, perfecte representari non poterit à bigamo, qui duxit duas aut unam viduam, vel ab alio corruptam, prout statuitur *can. Acutius dist. 26. c. Debitum* s. hic ubi bigamus ab Ordine repellitur; quod Sacramentorum ministrum esse non deceat eum, qui in Sacramenti significatione patitur defectum: prout etiam advertit S. Augustinus *Lib. de Bono conjugali cap. 13.**

Est autem Bigamia triplex secundum Glossam, à DD. passim receptam in *c. Super eo 2. v. In bigamis.*

2.

Prima dicitur Vera, & contrahitur ab eo, qui matrimonium successive cum duabus valide contraxit & consummavit: cujusmodi bigamos ab Ordine Ecclesia repellit, *can. fin. dist. 26. can. cognoscamus 11. dist. 34. c. Nuper 4. & c. Debitum cit. hic*, juxta monitum Apostoli *1. Timoth. cap. 3. cujus v. 2. Oportet, inquit, Episcopum* (etiam Presbyterum, quem Episcopi vocabulò ibi comprehendit PP. notant) *esse unius uxoris virum: & infra, Diaconi* (& clerici quicumque, juxta *can. 16. Apostol. & can. Cognoscamus cit.*) *sint unius uxoris viri.* Dixi autem, *Consummavit*, intellige, cum utraque; quia, qui matrimonium cum una, sive priore sive posteriore, non consummaret, non contraheret irregularitatem; quia ante consummationem cum utraque caro in plures non dividitur, neque inducitur defectus significationis Sacramenti, ut *can. fin. dist. 34. & c. Debitum cit. & c. fin.*

habetur, & cum S. Thoma in *4. dist. 17. q. 3. art. 1. ad 3.* advertunt Covarr. in *Clement. Si furiosus de Homicid. p. 1. §. 2. n. 2. v. Primò* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. dist. 83. n. 4.*

Dubium hic & controversia quædam magna inter SS. Ecclesie DD. Augustinum & Hieronymum fuit de eo, qui duas uxores, vel unam saltem ante, alteram post Baptismum susceptum duxit, quem esse irregularem, iste negat *can. dist. 26. & 28. q. 3.* ille verò utrobique *can. 2. affirmat* cum S. Ambrosio *Lib. de officio, can. fin. dist. cit. relatò*, & cum S. Thomas *cit. q. 3. art. 2. Glossa in can. 1. v. Post Baptismum dist. cit. canonique TT. & Canonistæ ferme omnes, teste cit. Sanchez n. 9.* propter textum *can. Deinde 3. dist. cit. & can. Si quis viduus 10. dist. 34.* ubi controversia ab Innocentio Papa decisa refertur. Ratio est, quia hoc Ordinum impedimentum introductum est, non in pœnam alicujus delicti, quæ cum isto remittitur per Baptismum; sed propter defectum significationis, conjunctionis Christi cum Ecclesia, cujus perfecta representatio in secundo matrimonio, tam ante, quam post Baptismum contracto & consummatione, non reperitur. Confirmatur, quia si Ecclesia ad Ordines illos duntaxat admisisset, qui nunquam conjugati fuerant, nemo ad eos admittendum censeret eum, qui coniux fuit ante Baptismum: licet, ante Baptismum corruptus, inter Dei vindices consecrari post eum susceptum non permittuntur, *can. Acutius cit. cur non idem Juris esse queat in bigamia?*

Obstare quidem huic doctrinæ & Innocentii definitioni videtur *can. 1. dist. 33.* eoque relatùs *can. 6. Apostol. ab Episcopatu, Presbyteratu & Diaconatu solummodo repellens eum, qui duabus nuptiis implicitus fuit post Baptismum.* Unde

Unde à contrario inferitur, ante istum susceptum copulatos non repelli. Cujus ratio reddi potest; quia infideles Jure Ecclesiastico, quò bigamiæ irregularitas introducta est, non ligantur: & propterea non contrahunt irregularitatem ex homicidio commisso ante Baptismum: & ante hunc susceptum contracta matrimonia, etiam post illum pro validis habentur ab eodem Innocentio III. *c. Gaudemus 8. de Divoritiis*, etsi cum Juris Ecclesiastici impedimento sint contracta, *c. De infidelibus 4. de Consang. & Affinit.* Sed revera non obstat; quia in primis arg. à contrario locus non est, cum eò illati contrarium Jure est expressum, ut docet Glossa à DD. recepta in *c. Unic. de Etat. in 6.* Unde in textu *can. 1. vocem Matrimonii* subintelligendam, notat Glossa *ibi V. Post acceptum*. Deinde; quia, licet irregularitas propriè non adit ante Baptismum; cum sit privatio capacitatis ad Ordines, quæ supponit habitum sive capacitatem, in infideles non cadentem, *arg. c. Veniens 2. de Presbyt. non baptiz.* adest tamen postea; cum etiam matrimonium infidelium, licet minus perfectè quàm Fidelium, aptum sit significare conjunctionem Christi cum Ecclesia: quam matrimonium consummatum, ex primæva Dei institutione, aliquò modò in statu Innocentiæ significavit, *c. Unico de Voto in 6.* ob eamque causam, etsi in latiori significatione, *Sacramentum* vocetur, *c. fm. de Transact. & c. Gaudemus cit.* ut cum Soto *in 4. disp. 26. quest. 2. arr. 3.* Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 8. n. 1.* & aliis notat Barbosa *in c. cit. n. 4.*

4. Neque paritas est cum irregularitate, ortà ex homicidio; quia, si hoc fuit injustum, ea provenit ex delicto, quod ejusque penam Baptismus tollit: si verò justum fuit, ea orta est ex defectu perfectæ Lenitatis Christianæ: quæ cum in

solos baptizatos cadat, irregularitas ex homicidio expressè in hos solos Jure Ecclesiastico lata fuit, *can. Si quis viduam 8. disp. 50. & can. Si quis post Baptismum 3. disp. 51.* Barbosa *de Officio Episc. alleg. 49. n. 3.*

Altera Bigamia vocatur Interpretativa, & contrahitur ab eo, qui præsumptione seu potiùs fictione Juris duas uxores habuisse reputatur: quod tribus modis contingit

Primò, si quis viduam cognitam à viro prioris matrimonii, aut extra hoc ab alio corruptam ducat, cum eaque matrimonium consummet, *can. 17. Apostol. can. Curandum 9. can. Præcipimus 10. can. Si quis viduam 13. disp. 34. can. fm. disp. 51. & c. Debitum cit.* quia matrimonium cum tali initum non perfectè significat unionem Christi cum Ecclesia: quæ fuit unicus cum unica Virgine & ab alio intacta Sponsa, *cit. Sanchez Lib. 7. disp. 84. n. 1. & Laiman Lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 6. n. 2.* Neque, ut quis interpretativè bigamus & propterea irregularis sit, necessarium est, ut mulier corrupta sit voluntariè, & corruptam esse sciverit, qui eam duxit; cum enim irregularitas ista, non in pœnam alicujus delicti, neque ob infamiam: sed propter defectum, ut vocatur Sacramenti, conjunctionem cum unica eaque immaculata Sponsa significantis, introducta sit, ad eam contrahendam sufficit, quòd mulier, quæ ducitur, ab alio quomocunque corrupta sit: neque refert, an corruptio nota sit vel occulta, Sylvester *V. Bigamia n. 4.* Sanchez *cit. disp. 84. n. 15.* multos allegans & Laiman *cit. cap. 6. n. 2. V. Exinde.*

Dixi autem, *Cognitam ab alio*; quia 6. ab alio incognitam ducens, hòc ipso; quòd illa carnem suam non diviserit in plures & adhuc intacta sit, non deficit

A a a in ligno

in significatione; eum sit conjunctio unius cum unica & ab alio intacta: & propterea Bigamus non reputatur, etiam si quam duxit, ante matrimonium ab ipso fuerit corrupta, ut cum Glossa in *c. Debitum cit. V. Cognita* Navarro *Manual. cap. 27. n. 195.* & aliis docent Suarez de *Censur. disp. 49. s. 3. n. 6. cit.* Sanchez *n. 14.* & Barb. *alleg. 49. n. 7.* partim quod matrimonium fictione Juris retrahatur ad tempus deflorationis, & propterea antecedens istius vitium purget, *c. Tenta 6. junctâ Glossâ V. Legitimi, Qui filii legit.* partim verò; quod defectus significationis, indeque orta irregularitas non inducatur fornicatione viri, *c. Quia circa 6.* ubi à bigamiâ irregularitate absolvitur, qui habuit plures concubinas.

Cur autem fornicatione viri defectus significationis, irregularitatem seculi trahens, non oriatur, non ita expedita ratio est: & Palao quidem, dum id in voluntatem Ecclesiæ ita statuentis refundit *tract. 27. disp. 6. p. 8. n. 4. ad l. Non omnium 20. ff. de LL. respicere* non obscure videtur. Congruentiam autem hujus Ecclesiasticæ sanctionis ex Angelico & aliis DD. satis subtilem reddit; quod actiones specificentur à termino *Ad quem*: terminus autem, in quem matrimonium tendit, sit mulier: & propterea, si hæc carnem suam in plures dividerit, Juris interpretatione eam in plures divisisse vir reputetur. Mihi non displicet congruentia moralis; quod defectus virginitalis sit minus frequens & magis indecens in Sponsa: quam, ab alio jam corruptam, & quodammodo infamem, ducere Sponso & Ordini clericali, ad quem ille se transfert, probrosum censetur. Unde Ecclesia corruptam ducentem ab Ordine clericali merito semper repulit, licet ad hunc admiserit illum, qui eam, quam duxit, ante matrimo-

nium corrumpit; præsertim eum, si etiam talis repelleretur, ad clericatum multo pauciores quam Ecclesiarum necessitas exigit, admitti possent.

Neque his obstant textus *can. 1. can. Maritum 2. disp. 33. & can. Si quis de laici 5. disp. 34.* quorum textum possremò, qui post uxorem suam aliam cognovit: primò, qui post baptismum concubinam habuit: secundò, qui retricem vel concubinam in matrimonium assumpsit, ab Ordinibus repelluntur; quia Jure Decretalibus antiquiore concubinarij & similes ab his quidem, tanquam irregulares, sed non tanquam bigami repelluntur; cum eorum impedimentum non ex defectu significationis Sacramenti matrimonij; quod habet etiam non contractò ordinum incapaces essent: sed ex delicto, concubinarij consuetudine perpetrato, proveniret, ut *c. Quia circa cit.* notat Gonzalez *n. 4. & 5.*

Secundò, Bigamia Interpretatur, contrahitur per accessum viri ad uxorem propriam, postquam per adulterium ab alio est polluta, *can. Si cuius 8. & can. Si laici 9. disp. 34.* hanc enim, licet violenter cognitam, si vir, etiam adolentia aut violentæ copulæ cum alio habita ignarus, carnaliter cognoverit, tanquam interpretativè bigamus, ad Ordines non admittitur; quia ejusmodi conjunctio inducit defectum perfectæ significationis Sacramenti, ferè sicut, si ab initio contraxisset cum corrupta. Ita Palao *normit. in c. Cum de tua cit. n. 1. cit.* Navarrus *n. 195.* Suarez *n. 15.* Laiman *n. 3.* & Barbosa *n. 8. & 10.*

Tertiò, si quis post matrimonium consummatum cum uxore legitima, hinc mortuâ, aut vivente & consentiente, ordinatus aliud matrimonium contrahat & consummet cum alia; nam etiam hic interpretatur

interpretativè bigamus reputatur, *c. Nuper cit.* non quidem propter defectum Sacramenti: sed propter affectum intentionis ad alterum matrimonium, prauò opere carnalis copulæ subsecutò, ut habetur *c. cit.* cuius textu clericum in saceris exempli solius gratiâ exprimi: dispositione autem etiam clericos in minoribus constitutos, imò etiam laicos comprehendendi; ac proinde etiam hos, si uore mortuâ, aut etiam eâ vivente cum alia matrimonii defacto tantùm sive, propter intercedens aliquod impedimentum dirimens, invalidè contrahant & consumment, irregulares esse à DD. communiter censetur.

Neque obstat; quòd irregularitas non contrahatur, nisi in casibus iure expressis: hi autem casus nullò iure expressi reperiantur. Non, inquam, hoc obstat; quia casus illi satis expressi videntur generali ratione *c. cit.* junctâ cum Ecclesiæ praxi & communi DD. interpretatione: quæ, ut casus illi pro iure expressis habeantur, sufficere censent Laiman *cit. cap. 6. n. 5. V. Alterum Palao cit. p. 8. n. 8. & Fagnanus in c. Nuper cit. n. 42. & 44.* ubi ait, clericos in sacris ibi exprimi, non ad excludendos, qui in minoribus constituti aut laici sunt: sed ad exprimendum impedimentum dirimens, ex quo matrimonii nullitas oritur.

10. Tertia Similitudinaria appellatur: quam contrahit, qui post susceptum Ordinem sacrum, vel editam professionem in Religione approbata, cum unica & virgine matrimonium de facto contrahit & consummat: quorum prior tanquam bigamus ab ordinibus repellendus dicitur *can. Quorquos & can. Monacho 27. 11. q. 1. &* licet istorum textuum prior de virginibus Deo saceratis, castitatem violantibus, loqui videatur, communis

tamen Interpp. aliorumque DD. sententia, constans praxis & traditio, quæ optima Juris interpretis est, *c. Cum dilectus 8. de Consuet.* omnes, qui post professionem matrimonium contrahere & contummare præsumunt, ab Ordinibus repellit, ut cum Garcia *p. 7. de Benef. cap. 6. n. 15.* docent *cit.* Sanchez *disp. 86. n. 5.* Suarez *f. 6. n. 7.* Laiman *n. 6. & Barbosa n. 15.* Posteriores vero instar bigami non ordinandum, *c. Sane 2. de Cleric. conjug. & c. 1. Qui cleric. & vocent.* habetur, & cum Navarro *n. 159.* Sylvestro *V. cit. n. 9.* tradit Barbosa *in c. fm. hic n. 9.* Ratio de utroque est; quia aliquò modò similes sunt contrahenti matrimonium duplex: primum, scilicet spirituale, de iure, cum Ecclesia vel Religione per votum solenne Castitatis, annexû sacri Ordinis susceptioni, aut in Professione religiosa inclusum: alterum de facto, scilicet carnale: quod interveniente carnali opere attentandò à priori vinculo recedere censetur.

Dubium hic movetur, an clerici bigami saltem retineant privilegia clericorum. Ratio dubitandi oritur ex *c. Unic. in 6.* ubi generaliter omni privilegio clericali nudati & fori secularis coërcitioni addicti declarantur; atque insuper habitum & Tonsuram clericalem ferre prohibentur sub excommunicatione. Verùm istius textûs dispositio inprimis, etsi procedat de bigamis non tantùm verè, sed etiam interpretativè; quippe qui verè bigamis omnino æquiparantur, *c. De bigamis 3.* locum tamen non habet in bigamis solùm per similitudinem; cum enim hi bigami non sint, nisi latè & valde impropiè, ad eos extendenda non est dispositio pœnalis & odiosa, *arg. Reg. Odiâ 15. in 6.* quod ulterius confirmatur; quia ejus dispositio locum non ha-

A a a a bet in

bet in Regularibus Professis; hi enim licet bigamiam contraxerint, privilegiò tamen clericali gaudent, donec eò per sententiam priventur, Suarez *disp. cit. f. 5. n. 7.* & Palao *cit. p. 8. n. 13.* Neque etiam in clericis secularibus, sacro Ordine initiatis; quia isti clericalia privilegia non amittunt, neque ferre prohibentur habitum & tonsuram clericalem, nisi deponantur sive degradentur: etsi, quando bigamiam Veram ante, aut Interpretativam post sacros Ordines contraxerunt, tanquam irregulares & suspensi usu & exercitio Ordinum privati maneat, donec cum ipsis dispensetur, Suarez *cit. n. 7.* Unde, *c. Unic. cit.* dispositionem de clericis solum minoribus intelligendam, rectè docet Sylvester *V. Bigamia n. 8.* qui, si cum unica eaque virgine contrahant, privilegia clericalia non amittunt per ejusdem *c.* textum, & ad minorum ordinum exercitium admittuntur à S. Synodo Trident. *Sess. 23. cap. 7. de Reformat.*

14. Dubium secundò est, an cum verè bigamis ad Ordines & beneficia Ecclesiastica valeat dispensari: cui ansam præbet rescriptum Lucii III. cum bigamis contra præceptum Apostolicum licitè dispensari, negantis, ut ad sacros Ordines promoveantur, *c. Super eo 2.* quòd id sit contra S. Paulum, qui 1. *Timoth. cap. 3. v. 3.* *Oportet, inquit, Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum &c.* ubi Episcopi nomine presbyterum & diaconum comprehendit, Glossa *in c. cit. V. Dispensare.* Ratio est; quòd hæc bigamiæ irregularitas oriatur ex defectu Sacramenti sive ejus significationis, à sacro Ordine removentis Jure Divinò, *cap. 3. v. 2. cit.*

Verùm eòdem *cap. 3. v. 3.* etiam cavetur, ne Episcopus sit percussor: quocum ad Episcopalem cæterósque sacros

Ordines & beneficia Ecclesiastica quocumque sedes Apostolica dispensat, *Præsentium 3. & c. fin. de Cleric. percuss.* Neque id immeritò; quòd præceptum de percussoribus, & de ipsis etiam bigamis, ad Episcopatum, Presbyteratum & Diaconatum non promovendis, non Naturale aut Divinum, à Christo Domino promulgatum: sed ab Apostolis, tanquam Ecclesiæ Pastoribus ac Rectoribus, datum & à S. Gentium Doctore literis mandatum sit, ut ex communi T. T. & Canonistarum sensu observant Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 86. n. 6.* & Gonzalez *in c. Debitum cit. n. 7.* qui propterea cum S. Thoma *cit. 9. 3.* Hollien. *in c. Super eo cit. n. 4.* Panormit. *n. 4.* Joan. Andr. *n. 9.* Navarro *Manual. cap. cit. n. 197.* Covarruv. *in Clement. Si fornic. p. 1. §. 2. n. 4.* & aliis in bigamia etiam verè irregularitate ad quoscunque Ordines & beneficia dignitatesque Ecclesiasticas dispensandi potestatem magno consensu adstruunt Papæ; illòque interdictibus prælatis negant.

Neque in contrarium facit, *c. Super eo cit.* relatum Lucii Papæ rescriptum; quia istò cum bigamo ad sacros Ordines dispensatio illicita asseritur non propter impossibilitatem, sed propter difficultatem; cum ea hoc ipso; quòd institutioni Apostolicæ & Ecclesiæ traditioni adversetur, perrarò, & non illi ex causa valde gravi concedatur: & hujusmodi causâ deficiente ejus concessio, licet non destituatur valore, illicita tamen sit, Panormit. *in c. cit. n. 4.* Suarez *de Censur. disp. 49. f. 6. n. 6.* & Bologn. *in c. cit. n. 4.*

Dubium tertio est, an cum bigamo Vero Episcopus dispensare etiam queat ad Ordines minores. Possit illud ad hos & beneficia etiam simplicia dispensare, cum Glossa *cit.* & D. Thoma

in 4. dist. 27. quest. 3. artic. 3. sustinent Sylvester V. Bigamian. 7. Navarrus cap. cit. n. 197. & aliis relatis Sanchez cit. dist. 86. n. 11. in eam rem præcipue allegantes can. Lector 18. dist. 86. ubi Martinus Papa cum Lectore, qui alterius viduam in uxorem acceperat, non solum ad Lectoratûs usum, sed etiam, exposcente iustâ causâ, ad Subdiaconatûs Ordinis susceptionem dispensari posse, ait: qui textus cum ad ipsam Papam nequeat referri; quod illi non ad minores tantum, qualis olim etiam Subdiaconatus fuit, sed ad sacros quoque Ordines cum bigamo dispensandi potestas competat, eum referendum ad Episcopum, & huic etiam potestatem illam competere, ajunt, non obstante c. Super eo cit. quod hâc textu de Ordinibus tantum sacris sit sermo.

Verum quia, sicut nonnulli alii, Martino Papæ inscripti à Gratiano, sic etiam can. Lector cit. non Pontificis Romani, sed Martini Archiepiscopi Bracarenensis, variorum canonum Ecclesiasticorum collectoris, est, ut rectè observat Suarez cit. f. 6. n. 5. eò relatum Jus non fuit Ecclesiæ Universale: sed Particulare duarum seu Provinciarum, & unius vel etiam plurimarum provinciarum moribus introductum: quod non solum ulla Ecclesiastica constitutione vel decreto Conciliari non approbatum, sed apertè improbatum est can. Non confidat 59. dist. 50. ubi Gelasius Papa, universis Lucaniæ Episcopis rescribens, Non confidat, inquit, quisquam Pontificum bigamos aut conjugia sortientes ab aliis derelicta Divinis servituros applicare ministeriis: quem canonem respiciens Gregorius X. in Concilio Lugdunensi c. Unic. in 6. bigamis, quos omni clericali privilegio nudatos declaravit, tonsurâ & habitûs clericalis declarationem, & consequenter etiam Ordinum receptionem usumque, & S. Syno-

odus Tridentina Sess. 23. cap. 17. de Reform. iisdem minorum Ordinum usum seu exercitium disertè interdixerunt. Unde cum illis ad minores Ordines dispensandi potestatem Episcopis communi, & moderno præcipue Jure competere, cum Panormit. in c. Super eo cit. n. 5. Franco in c. Unic. cit. n. 4. & Interpp. aliis verisimiliùs negant Covarruv. p. 1. cit. §. 2. n. 4. Garcias p. 7. de Benef. cap. 6. n. 5. cit. Suarez f. 6. n. 4. Palao tract. 29. dist. 6. p. 8. n. 18. Barbosa alleg. 49. n. 22. & 25. id firmans S. Congreg. Card. Interpp. declaratione, reddidit 13. April. 1630. & Fagnanus in c. Super eo cit. n. 32.

Atque hæc, sicut de Vera, sic & de 16. Interpretativa bigamia procedunt; cum allegati textus Juris inter hanc & illam non distinguant: & in perfectæ significationis Sacramenti defectu fundata ratio, sicut in Vera, sic & in Interpretativa bigamia, ex solo delicto non consurgente, dispensationi ad susceptionem & usum Ordinum obstat, ut rectè observant DD. cit.

Neque pro Episcopis militat; quod ad minores Ordines & beneficia simplicia dispensare valeant cum illegitimis, c. 1. de Filiis presby. in 6. & cum adulteris hisque similibus criminosis, c. At si clerici 4. §. De adulteris, de Judic. quia latum inter hos & bigamos discrimen intercedit; cum, quia de bigamis id non solum ullo Jure non expressum, sed inhibitum reperitur: tum verò; quia crimina per poenitentiam expiantur ac delentur: & præsumptio imitationis paternæ incontinentiæ, ob quam etiam illegitimi ab Ordinibus removentur, laudabilis & continentis vitæ honestate cessat: non etiam defectus significationis Sacramenti; cum iste ipsò etiam Baptismi lavacrò non aboleatur, can. Acutiùs can. Deinde, can. Si quis viduam cit. Fagnanus in c. Super eo cit. n. 37. & 38.

A a a a ;

Dubium

17. Dubium quartò est, de dispensatione in bigamia Similitudinaria; nam & in hac dispensandi potestatem Episcopo indiscriminatim Majolus *Lib. 1. de Irregularit. cap. 33. n. 7.* alii verò, non unà distinctione adhibita, negant, apud *cit. Sanchez disp. 86. à n. 16.*

Sed statuendum est, cum hujusmodi bigamis, si post peractam poenitentiam laudabilem vitam duxerint, ad sacrorum etiam Ordinum susceptionem & susceptorum usum dispensari ab Episcopo posse, ut cum *cit. Garcia cap. 6. n. 15. Suarez l. 6. n. 18.* & aliis defendunt Palao *cit. p. 8. n. 19.* & Pirthing *ad hanc Rubr. n. 31. ducti c. Sandè 4. de cleric. conjug. c. 1. Qui clerici & vovent.* quorum locorum alterò sacerdotem, alterò diaconum, qui ejusmodi Ordine jam initiati uxorem defacto duxerant, hanc dimissam peractaque poenitentiam, officio suo restituendi sive cum ipsis ad susceptorum Ordinum usum & altiorum susceptionem dispensandi facultas apertè concessa est. Ratio est; quia irregularitas ista non oritur ex defectu, sed ex delicto ipsius clerici, insuper habito Ordine sacro matrimonium, quod de jure non poterat, defacto contrahere & consummare presumentis; ut mirum non sit, cum ipso ad Ordinum susceptionem & exercitium dispensandi potestatem Episcopo concessam, *cc. cit.* licet respectu verè aut interpretative bigamorum sit denegata.

Episcopo tamen sic stabilitam in Similitudinaria bigamia dispensandi potestatem oppidò difficilem reddit textus *c. Ex literarum 2. Qui clerici & vovent.* quò relati Alexandri III. ad Cenomanensem Episcopum rescriptum est, Subdiaconum, qui duxerat uxorem, hanc ejuratam ad majores Ordines promoveri ab eo posse, si is poenitens ingredi voluerit Religionem; si autem ad hanc se transferre

noluerit, ei neque majorum susceptionem, neque in Subdiaconatu ministerium permittendum. Quod rescriptum, nec cum proximè præcedente *c. 1. c. c. Sandè cit.* apertè pugnet, laudati Sanchez *n. 20.* & Palao *n. 19.* id memorati Papæ consilium potius quàm præceptum fuisse, ajunt, fortassis & verisimiliter omnino; quòd in *c. Ex literarum cit.* calu Subdiaconus non verè poenitens videretur, & ex ejus incontinentia relapsus & hunc fecit majus scandalum timeretur, ut in *c. cit. Glossa fin. Panormit. n. 5. Alex. de Nevo in fine & Sylvester V. Bigamum n. 7. in fine* ad notarunt.

Minus urget *c. Nuper cit.* quia hinc textu Episcopo cum clerico, post susceptum Ordinem sacrum matrimonium contrahente, dispensandi facultas delegatur propter bigamiam, non Similitudinariam, sed Interpretativam, ortam ex duplici matrimonio, quorum alterum ante ordinationem de jure & factò, alterum post ordinationem sacram de facto tantum contractum consummavit, ut in *c. cit.* notant Panormit. *n. 4. & Laimanum. 1.*

Simili modò dispensare Episcopus nequit cum clerico, qui in lacris contractus vel professus Religionem, cum vidua vel corrupta matrimonium, quod de jure non potuit, de facto contractum consummavit, *c. fin.* quantumvis enim talis verè bigamus non sit, propter affectum tamen intentionis, pravò opere carnis commercii subsecutò, interpretative bigami instar habetur *c. cit.* quòd quantum in ipso fuit post spirituale matrimonium contractum sacri Ordinis susceptione vel Religionis professione, carnale matrimonium cum vidua vel corrupta contraxerit & consummavit, ut in *c. fin. cit.* notat Fagnanus *n. 15. c. 41. & cit. Pirthing num. 16.*

Excipite

18. Excipiendus tamen est casus, quò hæc, sicut & n. 8. relata, & non ex defectu significationis Sacramenti, sed affectu intentionis pravò opere subsécuto orta bigamia Interpretativa occulta est; cum enim Episcopus in omnibus ex delicto occulto, præterquam ex homicidio voluntario, provenientius & ad forum contentiosum non deducis irregularitatibus dispensare valeat, ex decreto Concilii Trident. Sess. 24. cap. 6. de Reformat. etiam in proposita bigamiæ irregularitate, quando ea occulta est, dispensare valebit, cit. Sanchez n. 23. Palao n. 8. & 20. & Barbosa n. 25. & 27.

19. Dubium quintò est, an & quam in bigamia dispensandi potestatem habeant Prælati Regulares. Et in bigamia quidem Vera & Interpretativa ad Ordines etiam minores dispensandi potestatem ullam ejusmodi prælati, etiam exemptis, communi Jure non competere, nemo facile inficiabit. Privilegiò etiam Apostolicò generaliter concessam in irregularitatibus dispensandi potestatem, ad eam quæ ex bigamia Vera vel Interpretativa orta est, non extendi, cum Navarro ad Rubr. de Regular. consil. 84. n. 1. sustinent Rodriguez Tom. 1. Summa cap. 158. conclus. 7. Peyrin. Tom. 2. de Relig. Præl. q. 2. cap. 5. §. 8. n. 99. Barbosa cit. alleg. 49. n. 30. & apud hunc alii, eà permotivatione; quòd In generali concessione

non veniant ea, quæ quò non esset in specie verisimiliter concessurus, ut habet Reg. 81. in 6. in irregularitate autem, orta ex hujusmodi bigamia, contra præceptum Apostolicum dispensandi facultatem in specie concessurus Papa verisimiliter non esset, & si non exprimat, concedere non intelligatur. In Similitudinaria autem Prælati exempti cum subditis suis Regularibus dispensare valent in omnibus casibus, in quibus ejusmodi dispensationes subditis suis diocesanis Episcopi concedunt; cum in illos obtineant jurisdictionem quasi Episcopalem. Ita cit. Suarez 6. n. 16. & 18. Barbosa n. 31. & Pirrhing. 32.

20. Cæterùm, pro dispensatione in bigamiæ irregularitate supplicans, in impetrationis literis exprimere debet ejus speciem; cum multò difficilius in Vera quàm in Interpretativa, & in hac quàm in Similitudinaria dispensetur. Quod si ab Ordinum susceptione vel usu ex duplici bigamia orta irregularitate impediatur, utraque exprimeanda est: licet, cum supplicans tria vel plura matrimonia contraxit & consummavit, tertium & ulterius exprimi necesse non sit, sed sufficiat, si se verè bigamum, vel irregularitate ex vera bigamia orta teneri exprimat; quòd ullus Juris textus non meminerit trigamiæ, ut cum Navarro ad hanc Rubr. consil. 2. & Henriquez Lib. 2. cap. 6 n. 9. tradunt cit. Sanchez n. 24. & Palao n. 23.



TITVLVS XXII. De Clericis Peregrinis.

SUMMARIUM.

1. His Ordinandis literæ Dimissoria
2. Et Formata :

3. Celebraturus, necessaria etiam sunt Commendatitia
4. Accepta à proprio Episcopo :

5. Quæ